[II. DE INVENTIONE DIALECTICA]

1, 1. PROLOGUS PROOEMIUMVE OPERIS SEQUENTIS

Oratio quaecunque de re quaque instituitur, omnisque adeo sermo quo cogitata mentis nostrae proferimus, id agere hocque primum et proprium habere videtur officium, ut doceat aliquid eum qui audit. Cuius rei quod certius quis propiusque capiat indicium, quam quod soli omnium animantium homini, ut rationis doctrinaeque capaci, parens ille et auctor rerum Deus loquendi atque orationis indulserit munus? Quod si est signum rerum, quas is qui dicit animo complectitur, oratio, liquet hoc esse proprium opus ipsius, ut ostendat id atque explicet, cui significando destinatur.

Nec me praeterit maximis auctorum placuisse tria esse quae perfecta oratione fiant, ut doceat, ut moveat, ut delectet, et docere quidem rem facilem esse et quam quisque tantum non inertissimae mentis praestare possit, concutere vero affectibus audientem et in quemcunque velis animi habitum transformare, allicere item audiendique voluptate

tenere suspensum non nisi summis et maiori quodam Musarum afflatu instinctis contingere ingeniis. Nec sane infitias ivero esse ista praecipua bene dicendi praemia sequique orationem, verum sequi verius quam effici, potiusque accessionem esse ipsius quam proprium opus. Sed de his alio loco explicatius dicendum erit. Hoc in praesentia dixisse sufficiat posse docere orationem, ut non moveat, non delectet; movere aut delectare, ut non doceat, non posse. Itaque precantes, conquerentes, sed et interrogantes quoque, quanquam aliud agere videntur, hoc tamen primum efficiunt, ut discant audientes, cuius desiderio teneantur, quo urgeantur dolore, quid sit quod scire velint.

Docemus autem nonnumquam hoc tantum pacto ut intelligat auditor, quandoque ut fiat illi fides. Fidem facimus vel credenti et velut sponte sequentem ducimus, vel pervincimus non credentem atque repugnantem trahimus. Alterum expositione fit, alterum argumentatione conficitur. Expositionem voco orationem, quae solam dicentis mentem explicat, nullo quo fides audienti fiat adhibito; argumentationem vero orationem, qua quis rei de qua dicit fidem facere conatur.

Cum vero nulli dubiae rei queat ex se constare fides, sed ex aliis quibusdam notioribus atque magis exploratis de unoquoque certitudinem colligamus necesse sit, iamque alii mentis acumine freti uberius expeditiusque argumentum, id est, ut inquit Cicero, probabile inventum ad faciendam fidem excogitent, alii contra hebetiore mentis vi ad rerum obtutum caligent et vel nihil, vel sero quid quaque de re dici possit invenire queant, utilissimum videntur fecisse qui sedes quasdam

argumentorum, quos locos dixerunt, excogitavere, quorum admonitu, velut signis quibusdam, circumferremus per ipsas res animum, et quid esset in unaquaque probabile aptumque instituto orationis nostrae perspiceremus.

Utilem autem esse hanc locorum rationem apparet cum magnae parti humanorum studiorum (quandoquidem pleraque in ambiguo haerent et dissentientium certaminibus sunt exposita; exigua enim portio eorum quae discimus certa et immota est, adeoque, si Academiae credimus, hoc solum scimus[1] quod nihil scimus; certe pleraque pro cuiusque ingenio, ut accommodatissime ad probandum quisque excogitare potuerit, alio atque alio trahuntur), tum vero eis praecipue confert, qui tractant illa quorum nullae traditae sunt artes, dico[2], qui consilio rem publicam gubernant, quos de pace, bello ceterisque civitatis negotiis in rem praesentem saepe senatui, saepe populo fidem facere oportet, quique in iudiciis item accusare, defendere, petere, abnuere, quique populum docere iustitiam, religionem, pietatem in professo habent. Quanquam enim et istorum nonnulla comprehensa sint artibus, subtiliora tamen illa et ex mediis scholis deducta, velut exilia nimium, vel non intrant crassiores vulgi animos, vel non haerent; rudioribus et ex medio depromptis tanquam popularibus robustioribusque moventur magis, utque[3] delicatiores aures lyra citharave delectat, ita militem non nisi tuba accenderis. Crassis enim, quod in proverbio est, crassa conveniunt.

Nec instruere solum os facultas ista et tantum dicendi[4] copiam subministrare, sed providentiam animi et recte consulendi quoque aperire viam videtur, quando non alia re prudentiam constare[5] apparet, quam perspicere, quid in quaque re sit positum et consentanea repugnantiaque et quo quicque ducat quidve evenire possit colligere. Indicio fuerint duo utriusque linguae disertissimi Demosthenes et Cicero, quorum ut prudentissima fuit oratio, ita, quanquam nonnulla aemuli reprehendenda sibi in ipsorum vita sumpsere, consiliorum tamen prudentiaeque laus ipsis est vel invidia consentiente concessa, namque dicere prudenter nisi qui prudenter cogitarit non potest. Fit enim ut quod providerit quis non faciat, dicit certe quod non providerit nemo. Sed haec de origine locorum deque ipsorum utilitate hactenus praefatos esse sufficiat.

1, 2. QUID SIT LOCUS

Quando igitur de locis dicturi sumus, commodissimum fuerit definire quid sit locus. Id, quo cuncta magis in aperto sint, altius repetentes paulo uberius explicemus. Dictum est nobis paulo ante nullam rem, de qua ambigitur, ipsam per se probari posse. Quod clarius sane arbitror esse, quam ut ostendendum sit, non minus quam, tenebras si visum oculosque admittere debeant, illato alicunde lumine indigere. Relinquitur ergo quicquid confirmandum est ex aliquo alio fidem assequi.

Nec tamen omnia probandis omnibus conveniunt. Quid enim dissenti de optimo civitatis statu et utiliusne sit eam principis unius arbitrio quam populi consensu regi, profuerit scire respirent necne sub aqua pisces? Quid item suadentem Caesari ut inferat bellum Pompeio adiuverit,